Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput tertium

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

centius Lirinensis*, in ipsâ vetustate duorum 77 cit. cap. 3.
aut trium hominum, vel certè civitatis unius,
aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur: tum omnino curabit, ut pauorum temeritati, vel insitiæ, si quæ sunt universaliter antiquitùs universalis Concilii decreta 5
præponat. Item, Quidquid verò, ait*, * c. 28.
quamvis ille sanctus, et doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor et Martyr; præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et privatas opiniunculas à communis et publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit, ne cum summô æterno salutis periculô, universalis dogmatis antiquâ veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem.

Caput Tertium

Unde cognosci possit, traditionem aliquam esse divinam. 74

Assignatis regulis, quibus dignosci possit generatim traditionem quamdam humanam duntaxat esse non divinam; modò etiam assignandæ sunt regulæ, quibus haberi possit, traditionem aliquam esse verè divinam. Sit igitur

Regula Prima. 75

Dogma, quod universa Ecclesia amplectitur, „tanquam fidei dogma „licet in sacris litteris non reperiatur, est divinæ traditionis.

Pb: 1° ex S. Scripturâ: 1. Timoth. c. 3. v. 15. Ecclesiam nuncupat Paulus columnam et firmamentum veritatis. Item de eâ dicitur à Domino Matth. c. 16. v. 18. Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Atqui ipsa non esset columna et firmamentum ve-

veritatis, necnon Portæ inferi adversus eam prævalere possent, si quod ipsa tanquam fidei dogma amplectitur, licèt Scriptum in Sacris litteris non reperiatur, non esset divinæ traditionis. Ergò p.

Pb. 2.do ex SS. Patribus. 1.o S. Irenæus, Ecclesia, inquit*, per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis, et à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est.... Hanc prædicationem cùm acceperit, et hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit his, videlicet quasi unam habens animam et unum cor. Ergò juxta S. Irenæum fidem et prædicationem ab Apostolis acceptam diligenter custodit, atque communi consensu judicat, an doctrina aliqua sit vera aut falsa. adeoque quod tanquam de fide definit, illud et velut tale suscipiendum est, etsi in S. Scripturâ non contineatur.

* lib. 1. adv. hæres. c. 2.

2.o Tertullianus: Ecquid, inquit*, verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos invenitur, non est erratum, sed traditum. Hæc apertè nostram regulam continent. Ergò p.

* lib. de Præscript.

3.o Quam vanum est, ait Cyprianus*, ut Novatianô nuper relictô et refutatô, et per ipsum orbem à Sacerdotibus Dei abstentô, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, ac de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicare. Ergò juxta hunc S. Patrem, ideò Novatianus hæreticus fuit, quòd apud omnes orbis Ecclesias tanquam hæreticus audiverit; adeoque illud de fide tenendum, quod ut tale tenet universalis Ecclesia p.

* lib. 3. epist. 13.

Quartò. Et non solùm, ait S. Hieronymus, 79.
unius urbis, sed totius Orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum. Ergò ex eo duntaxat damnat Vigilantium, quòd illi universi contradicant p.

Quintò. S. Augustinus passim in suis adversùs Pelagianos Operibus asserit, hæreticam esse eorum doctrinam, quòd omnes orbis Ecclesiæ Synodorum Carthaginensium decretis et Innocentii ac Zosimi summorum Pontificum judicio subscripsissent. Ergò p.

Pb. 3tio ratione Theologica: Ecclesia universa errare non potest, ut adducti probatione primâ demonstrant "tentus", omnesque, quotquot hactenus extitêre Ecclesiæ Patres et Doctores tuentur. Ergò quod ipsa de fide esse credit, sine dubiô est de fide. Subsumo: atqui nihil de fide credit, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas sive Scriptô sive verbô revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Ergò illa omnia, quæ Ecclesia de fide tenet, tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis vel Scriptô vel verbô. ut sunt perpetua virginitas B. Mariæ, numerus librorum Canonicorum, et similia.

Regula Secunda. 76.

Doctrina, quam universa Ecclesia quovis sæculô propugnavit, divinæ est Traditionis, quamvis in Libris Canonicis non reperiatur.

Pb. 1o ex SS. Patribus. Cæterùm, inquit supra laudatus Tertullianus*, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.

* lib. de præscript.

Vincentius item Lirinensis: In ipsâ item Catholicâ Ecclesiâ, ait*, magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod

* Commonit.

80. semper, quod ab omnibus creditum est. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem antiquitatem, consensionem; sequemur autem universitatem hôc modô, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem verò ita, si ab his sensibus nullatenùs recedamus, quos sanctos majores, ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem; si in ipsa vetustate, omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter et Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.

Hæc etiam est regula S. Augustini lib. 4. cont. Donatist. c. 24.

Pb. 2do ratione Theologicâ: Sicut tota præsentis sæculi Ecclesia tanquam divinum admittere non potest, quod humanum est duntaxat; ita nec præcedentium sæculorum Ecclesia. Atqui p. Ergo p. Maj. est aperta: una nimirum est ac eadem Christi sponsa, licèt diversis sæculis ac ætatibus sit distincta: Ergò doctrina, quam ut divinam admisit quovis sæculô, verè divina est quamvis in sacris litteris non legatur. Min. patet ex supra dictis regulâ primâ. Ergo p.

~~[illegible]~~

Regula Tertia.

77. Quando universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potuit, nisi Deus, id ex traditione divinâ seu Apostolicâ esse dicendum est, quamvis nullibi in S. Scripturâ exaratum inveniatur.

Pb. 1o ex SS. Patribus. pro omnibus sufficiat S. Augustinus. qui Epist 118. docet,

insolentissimæ insaniæ esse, existimare, non rectè fieri, quod ab universa fit Ecclesia.

Item lib. 10. de genes. c. 23. Consuetudo, inquit, Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullô modô superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi apostolica esset traditio.

Et lib. 2. de Bapt. c. 7. Quam, inquit, consuetudinem non rebaptizandi hæreticos credo ex Apostolicâ traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in libris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. Ergò, ~~[illegible]~~ illa, quæ Ecclesia non potest rectè servare, nisi à Deo sint instituta, et tamen servat necesse est dicere, à Deo esse instituta, etiamsi nusquam legantur, quale est Baptisma parvulorum, ut et, hæreticorum baptismum esse ratum. Erraret enim gravissimè Ecclesia, si sine Dei mandatô parvulos, qui actu non credunt, baptizaret, ut et, si hæreticorum baptismo daret auctoritatem, nisi eam à Christô haberet.

Pb. 2.do ratione 1.o fidei et cultûs Ecclesiæ universæ eadem est ratio, ut patet. Atqui in fide errare non potest, prout supra ostendimus. Ergò nec in cultu seu ritu divinô. Ergò quemadmodum in credendô est infallibilis, ita et in operandô. Pb. 2.do Multa hujusmodi fiunt

82. in Ecclesiâ, quæ ipsa nec tentare posset, si
si potestatem sibi per Apostolos divinitus
traditam accepisset: Sic vota dissolvere,
et remittere juramenta non erat huma-
næ potestatis: tùm quia jure naturæ vo-
ta munupata, Deo reddere, et juramenta
servare tenemur: humana verò facultas
ea, quæ jure naturæ debita et constitu-
ta sunt, condonare ac tollere non potest.
Eadem est ratio de Matrimonii rati di-
remptione per solemne votum: cùm
enim matrimonium, etiam non consu-
matum, ante Evangelicam legem jure
naturæ esset indissolubile, nec esset in
republicâ humanâ facultas ulla ejus-
modi matrimonii dirimendi, conse-
quens fit, hunc Ecclesiæ morem ex Chri-
sti, et Apostolorum ~~ipsius~~ insti-
tutô descendisse. 66. cons. Credi haud
potest, Ecclesiam Dei aliquam sibi po-
testatem generaliter usurpasse, in his,
quæ ad jus naturæ pertinent, nisi quam
Christô et Apostolis ~~ejus~~ tradentibus
accepisset; enimverò gravis hic error esset
in moribus, in quibus Ecclesiam errare non
posse, jam suprâ annotavimus, et suô loco
fusiùs adhuc ostendemus. Ergò &c.

Regula Quarta.

78. Praxis quæ in Ecclesiâ universâ quo-
vis sæculô continuatâ serie conservata
est, nec in conciliis instituta videtur,
meritô censetur ab Apostolis instituta, quan-
vis sit ejus generis, ut ab Ecclesiâ insti-
tui potuerit.

Hujus generis praxes et ritus sunt Quadragesimale jejunium*, imaginum veneratio, quam ex Apostolicâ Traditione asseruerunt Patres Concilii Nicani II. act. ult. Ritus, qui servantur in Baptismô prout disertè asserunt Basilius de Spiritu S. c. 27. Tertullianus de corona milit. et alii.

*Apud Irenæum, Epiphanium, Hieronymum, Ambrosium, Leonem.

Ob. 1.º ex SS. Patribus primùm adducis. Item ex S. Augustinô, qui lib. 4. de Baptismô contrâ Donatistas c. 24. sic loquitur: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

Idem docet Epist. 118. his verbis: Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiis saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti, quòd Domini passio et resurrectio, et ascensio in cœlum, et adventus de cœlô Spiritûs Sancti anniversariâ solemnitate celebrantur; et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universâ, quacumque se diffundit, Ecclesiâ.

Ob. 2.º ratione. In eo casu nullum est fundamentum judicandi, quòd praxis, de quâ agitur, ab Ecclesiâ fuerit instituta. Ergò, cùm tamen omnes illius meminerint, et universim ab Ecclesiâ deinceps in sæculum conservata fuerit, meritò censeri debet ab Apostolis fuisse instituta, quamvis etiam ab Ecclesiâ institui potuerit.

84.
79.

Regula Quinta.

Id sine dubiô credendum est ex Apostolicâ traditione descendere, quod pro tali habetur in præcipuis et Apostolicis Ecclesiis, iisque, ubi est integra et continuata successio ab Apostolis, quamvis in quibusdam aliis Ecclesiis non reperiatur.

Ob. 1.o ex SS. Patribus. Irenæus lib. 3. adversus hæres. c. 2. asserit hæreticos impugnari posse vel Scripturâ, vel Traditione, quæ in Ecclesiis Apostolicis servatur. Cum, inquit, adeam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos.

Et c. 3. scribit eam traditionem eminere in Ecclesiis, quas Apostoli fundarunt, et in quibus Episcoporum series interrupta non fuit. Traditionem itaque Apostolorum, inquit, in totô mundô manifestatam, in Ecclesiâ adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus numerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.

Porrô inter eas Apostolicas Ecclesias, in quibus conservata est Traditio, dicit Romanam Ecclesiam tenere principem locum: In quo, ait, semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio

Et recensens omnes Romanos Episcopos usque ad sua tempora hæc habet: Hâc or-

dinatione et successione, ea, quæ est ab 85.
Apostolis in Ecclesiâ traditio, et veritatis
præconisatio pervenit usque ad nos.

Tertullianus quoque libro de præscriptionibus, dubitanti, an aliquod dogma divinitus per Apostolos traditum sit, jubet, ut consulat Ecclesias matrices, quas Apostoli fundarunt, credatque, quod abeis credi perspexerit: Quid prædicaverint Apostoli, inquit, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam vivâ voce, quàm per epistolas postèa. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum et Christi.

Ob. 2do Ratione. Censendi sunt Apostoli successoribus suis cum officio Episcopatûs etiam tradidisse doctrinam Religionis. Ergò procul dubio credendum est, ex Apostolica traditione descendere, quidquid in hujusmodi Ecclesiis pro tali habetur.

Si ergò in aliquâ Ecclesiâ ascendendo per Episcopos sibi invicem succedentes perveniamus ad Apostolum aliquem, et non constet, quod ullus eorum Episcoporum introduxerit novam doctrinam, certi su-

86. mus, ibi conservari Apostolicas Traditiones. Et quidem olim inveniebatur Succesio non interrupta, non modò Romæ, sed etiam Ephesi, Corinthi, Philippis, Thessalonicæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Hierosolymæ, et alibi. Ac propterea laudatus Tertullianus* remittit homines ad quamlibet harum Apostolicarum Ecclesiarum, ut ibi inveniant Apostolicas Traditiones: et Theodosius Lege Cunctos populos Codice de Summâ Trinitate, et fide Catholicâ, jubet omnes servare eam fidem, quam prædicabant eo tempore Damasus Romæ, et Petrus Alexandriæ, duo Pontifices præcipuarum Apostolicarum Ecclesiarum. At nunc deficit certa Succesio in omnibus Ecclesiis Apostolicis, præterquàm in Romanâ, et ideò ex testimonio hujus solius Ecclesiæ sumi potest certum argumentum ad probandas Apostolicas traditiones: ac tùm potissimùm, cùm doctrina, vel ritus earum Ecclesiarum à doctrinâ, et ritibus Ecclesiæ Romanæ dissentiunt.

* loc. cit.

90. Caput Quartum.

Unde Speciatim varia Traditiones in prologuio recensita à sese invicem secernantur.

Duobus præcedentibus Capitibus Regulas assignavimus, quibus discrimen humanam inter et divinam Traditiones generatim sumptas dignosci possit; quoniam autem, ut in hujusce Tractatus prologuio annotavimus, varia dantur sacra Traditiones humanæ; nempè pure Apostolica; nam propriè dicta Apostolica Traditio, quàm Apostolico-divinam dicimus, eadem est ac divina, ut ibidem dictum,